



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies decimus et undecimus continentur

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1868

De SS. Eusebio, Eraclio Dionysio, Septimo Seu Septima Aut Septima,
Secunda Et Salsa MM. In Africa. Ex Martyrologiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71246)

DE S. PINITO EPISCOPO

CNOSSI IN INSULA CRETA

SYLLOGE

Ætas et cultus.

CIRCA ANNUM
CLXXX.
Antiqua San-
cti memoria
apud Eusebi-
um

Eusebius Pamphilus lib. 4 *Historiæ Ecclesiasticæ late prosequitur, quæ sub imperio, M. Aurelii Antonini cum fratre suo L. Ælio Vero regnantis, id est, ab anno 160 ad annum 180, evenerunt memoratu digna; et cap. 21 de Scriptoribus Ecclesiasticis, qui tunc floruerunt, ista habet: Iisdem temporibus in Ecclesia floruit Hegesippus, de quo egimus vii Aprilis, et Dionysius Corinthiorum episcopus, cujus virtutes et Acta elucubrata sunt in nostro Opere ad diem viii Aprilis, Pinytus quoque Cretensium episcopus, Philippus præterea et Apollinaris ac Melito: Misanus etiam et Modestus, ac potissimum Ireneus*. Quorum omnium libri, sinceram Apostolicæ traditionis ac veræ fidei doctrinam continent, ad nos usque pervenerunt. *Sequentibus capitibus de singulis seorsum agit Eusebius, ac cap. 23, ubi de S. Dionysii epistolis tractat, has inter unam ad S. Pinitum Cnossie episcopum missam, hujusque ad S. Dionysium responsum recenset, cujus verba hic transcribo: In eodem volumine continetur etiam epistola ad Gnosios, in qua Pinytum ecclesiæ illius episcopum monet, ne grave onus castitatis fratrum cervicibus tamquam necessarium imponat, sed ejus, quæ in plerisque hominibus inest, infirmitatis rationem habeat. Cui epistolæ respondens postea Pinytus, admiratione quidem ac laudibus effert inprimis Dionysium; sed tamen hortatur, ut solidiorem cibum tandem impertiat, et, transmissis iterum perfe-**

ctioris doctrinæ litteris, plebem sibi com missam alere velit: ne forte lacteis sermonibus perpetuo innutriti homines, in infantili quadam disciplina paulatim consenscant. Quæ quidem epistola et rectam Pinyti fidem et sollicitudinem de profectu plebis ipsi commissæ, eloquentiam quoque et peritiam rerum divinarum, velut tabella quadam picta, egregie commonstrat.

2 Hunc sanctum Cnossie urbis, quondam regie (de qua videndus Strabo Geographiæ lib. 10) nunc destructæ, Antistilem ad diem x Octobris martyrologi celebrant, ac inprimis Romanum parvum Martyrologium, cujus annuntiationem hic accipe: In Creta, Pinyti inter episcopos nobilissimi. Cum eodem fere elogio ejus indicavere natalem Ado et Usuardus. In Martyrologio vero hodierno Romano exornatur hoc encomio: In Creta insula beati Pinito inter episcopos nobilissimi; hic Gnossiæ urbis Episcopus sub Marco Antonino Vero et Lucio Aurelio Commodo floruit, et in scriptis suis, velut in quodam speculo, viventem sui reliquit imaginem. Quæ phrasi simili aut aliquantum alia referuntur apud Maurolycum, Felicium, Ghinium, Galesinium, Canistum et in nonnullis Mss. Atque hæc pauca de Sancto nostro potui reperire: reliqua vero, quæ nobilissimum Gnossi Præsulem scripsisse, tradunt Eusebius et jam laudati martyrologi, inter deperdita recensentur.

et martyro-
logi.
E

DE SS. EUSEBIO, ERACLIO

DIONYSIO, SEPTIMO SEU SEPTIMA

AUT SEPTIMIA, SECUNDA ET SALSA MM.

IN AFRICA.

EX MARTYROLOGIIS.

SEC. I AUT ALI-
QUO E TRIBUS
SEQQ.
Sancti, qui,
etsi etiam heri
annuntiati, ad
hunc diem spe-
ctant,

Secæ Martyres, in titulo hic propositi, qui aut Septimiam exceperis in, Epternacensi apud Florentinum Hieronymiano apographo asbque aliis, de quibus infra sumus acturi, in certi loci Martyribus annuntiantur, heri etiam, hisce additis, nec Septima seu Septimo omisso,

in eodem Epternacensi apographo ita recensentur: Africa (alia Hieronymiana apographa habent In Africa) Eusebi, Eradi, Dionysii, Septimæ, Secundæ, Salsæ. Ast, cum in omnibus prorsus aliis Hieronymianis Fastis, a quibus Martyres isti aut partim aut omnes referuntur, hodie dumtaxat id fiat, heri eos, uti etiam

C. B.

ACTORE
C. B.

iam jam dictos, cum et hi in omnibus aliis Hieronymianis Fastis aut partim aut omnes hodie dumtaxat referantur, loci incerti Martyres loco non suo in Epternacensi apographo memorari atque ad hunc diem pertinere, Florentinius in Notis recte observat. Atque id quidem certum apparet, uti etiam non tantum Dionysium, qui in omnibus Hieronymianis codicibus non contractis hodie signatur, verum etiam Eusebium hodiernis Africanis Martyribus in Epternacensi apographo recte accenseri; etsi enim hic nec in majori quod Florentinius in Notis suppeditat, Corbeiensi apographo, nec in vetustissimo apud Dacherium, quod S. Hieronymi nomine insignitur, Martyrologio inveniatur, in ipso tamen etiam Hieronymiano Florentinii textu, in Gellonensi apud Dacherium apographo ac denique apud Marteneum tom. 3 Anecd. in Martyrologio, annis circiter mille sub S. Hieronymi nomine compacto, reliquis omnibus, de quibus hic, Martyribus, veluti horum duæ et antesignanus, præponitur.

partimque aliter in Florentinii textu, aliter in Epternacensi apographo offeruntur.

2 At vero in dicto Florentinii textu legitur: In Africa Eusebii, Eraclii, Dionisi, Septimi, Scien- di, Salsi; hinc autem dubitari potest, primo quidem an cum hoc Hieronymiano apographo Eraclius, an contra cum Epternacensi Eraclius vocandus sit, qui secundo hic numeratur inter Martyres Africanos loco; deinde vero, virilisne, an contra femineæ sexus, qui tres horum posteriores sunt, aliterque in Epternacensi apographo, quam in Florentinii textu scribuntur, existerint. Ast cum figura, quæ ex littera l, inferne cum littera c conjuncta, exurgit, ad figuram litteræ d quam proximè accedat, facillime fieri potest, ut littera d seu potius hujus partes, si inferne haud satis connectantur, pro litteris c et l, aut contra ut hæc, si inferne altera cum altera propemodum jungatur, pro littera d accipiantur; postremum autem, quod nominis Heraclii seu Eraclii littera l in Ms., quod librarius describebat, inferne cum littera c propemodum esset conjuncta, fuerit verosimillime hic factum. Ita autumo, non tantum quod Heraclii nomen admodum vulgare sit, verum etiam, ac præsertim quidem, quod in plerisque Hieronymianis apographis, ab Epternacensi distinctis, non C Eradi seu Eradii, sed Eracli seu Heraclii legitur. Hinc porro jam fit, ut, cum pariter in plerisque Hieronymianis codicibus, non Scien- di et Salsi, ut in relato Florentinii textu fit, sed Secundæ et Salsæ legatur, nominibus hisce non viros, sed mulieres designari opiner, ut- que præterea, cum Septimi non minus sæpe, quam Septimæ aut Septimiæ in Hieronymia- nis codicibus occurrat, nondum etiam, re licet studiose discussa, virne, an mulier nomine isto designetur, determinare queam, meumque idcirco de modo, quo id exarandum sit, du- bium in titulo indicarem.

contractiori- bus etiam Hieronymianis aliisque recentioribus

3 Atque hæc ex Hieronymianis apographis non contractis jam dicta de sexu nominibusque Africanorum nostrorum Martyrum sufficiant. Aliquot porro ex his in contractioribus etiam apud Sollerium codicibus inveniuntur. In Ri- chenoviensi quinque sic memorantur: In Africa Eusebii, Eraclii, Dionisii, Secundæ, Septimi.

In Augustano itemque in Labbeano quatuor D dumtaxat recensentur, sed iis, quod et in supra laudatis Gellonensi apud Dacherium et vetustis- simo apud Marteneum Martyrologiis fit, mox duo tresce adduntur alii, e sequenti in codici- bus non contractis classe perperam accepti, vocibus interim et alibi, quæ in hisce post Mar- tyres nostros reperiuntur, hosque seorsum ab aliis, qui sequuntur, passos indicant, omissis. Ceterum, ut jam adductis codicibus contractio- ribus brevior etiam, qui et ipse a Sollerio ex- hibetur, Corbeiensem adjungam, in hoc ita ha- betur: In Africa Eradi, Dionysii, Septimiæ. De omnibus porro et singulis hisce tribus, imo et de aliis itidem tribus supra memoratis Africa- nis Martyribus silent omnes, qui VIII et XI se- culo floruerunt, martyrologi; at non simili- ter omnes, qui aliqua deinde horum Martyro- logiis addidere. Apud nos ante tom. 2 Martii in Barberiniano Bedæ Auctario legitur: In Africa natale SS. Eusebii, Eraclii, Dionysii. Accedit Additionum soluta oratione ad Wandelbertum auctor. Hic sic habet: In Africa Eusebii, Hera- cli, Grevenus et qui Florarium nostrum Ms. concinnavit, duos hosce Martyres pariter me- morant; sed et ipsi, eadem, quam mox carpsi, agendi ratione servata, perperam cum eis E conjungunt S. Venustum, alterius classis martyrem, continuo cum aliis, ad hanc spe- ctantibus, infra hic dandum.

4 Atque ita quidem duo hi hagiologi; Gale- sinus porro, qui hic denique etiam memoran- dus venit, annuntiationem adhibet hujusmo- di: In Africa sanctorum martyrum Eboraci, Eusebii, Sereni et Probi; ita autem non unum dumtaxat, ut isti, sed duos alterius classis Martyres, quorum alter Probus cum Tharaco et Andronico in Cilicia, alter Serenus, cum pluribus aliis, ut mox infra videbimus, loco incerto est passus, cum duobus classis, de qua hic agimus, Martyribus Heraclio et Eusebio, aut certe cum horum posteriori perperam pa- riter conjungit. Ac primum quidem fecerit, si pro Heraclio seu Eraclio, ut Florentinius in Notis suis suspicatus est, Eboracum corrupte exararit, postremum vero, si forsan, cum vel ipse vel alius, quem ipse deinde fuerit secutus, sequentia isthæc verba, S. Paulini episcopi, Eboraci, Eusebii, Sereni et Probi, in Hierony- miano quopiam apographo legisset, nomen F Eboraci seu Euboraci, quo ibidem designantur notissima Angliæ civilis, per errorem seu de- bitæ attentionis defectum, uti illos, qui S. Pau- lini, Eboracensis in Anglia archiepiscopi, an- nuntiationi Eubrachii confessoris memoriam in Usuardinis aliquot apud Sollerium aucta- riis adjecerunt, certo fecisse, in hodiernis Præ- termissis jam vidimus, pro nomine martyris acceperit, huncque una cum Sereno et Probo, quod eos cum martyre Africano Eusebio con- jungi videret, in Africa signarit. Ut sit, plu- ra, quæ de sex nostris Africanis Martyribus dicam, haud invenio, cumque etiam præ mo- numentorum, quæ de iis tractent, penuria ne determinatum quidem, quo passi sint, seculum assignare queam, hinc supra in margine Sec. 1 a ut aliquo e tribus seqq. adscripsi.

Festis sacris partim exstant inserti.